

TIBI, ILLVSTRISIME COMES! cui  
in celebritate hominum versari, multaque  
multorum hominum experiri ingenia ne-  
cesse erit, vel maxime profuturum arbi-  
trarer; nulli peperci operae, vt hoc  
etiam conclusionum genere verecundiam  
quandam atque venerationem diuinorum  
oraculorum TVO inspirarem animo. In  
quibus & illud me TIBI praecipere TE  
meminisse puto, vt gentium, quae men-  
tis suae fictionibus relictæ diuino scri-  
pturae sacrae caruerunt lumine, miserias,  
caligines atque tenebras in grauissimis  
religionis capitibus, contemplando in-  
telligas, quam grato animo diuinum istud  
munus prosequi & agnoscere nos oporteat.  
Hunc locum cum per otium dila-  
tare paullum vberiusque tractare institue-  
rim; varias mihi obseruationes proferre  
licuit fortasse haud inutiles: inde vero  
haec enata est tractatiuncula, quam nunc  
TIBI exhibere, NOMINIQUE TVO dicare  
sustineo. Caeterum, quandoquidem o-  
mnis

mnis